



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

Epist I. Iacob. Sadolet. Episc. Carpent. Ioan. Saluiato S.R.E. Cardinali,
S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

amores, & quam amicè de me atq; honorificè non sentires ipse
 solum, sed alios etiam velles sentire atque existimare. Hæc tua
 recentia officia, quæ aliis iam plurimis accumulata sunt, si obli-
 uisci aut dissimulare velim, ingratus & nefarius: si verbis com-
 pensare, ineptus sanè existimer. Sed in re difficili ad capiendum
 consilium & dubia, malui tamen scribere ad te aliquid, & gratias
 tibi agere, quam omnino me videri mutum. Eas igitur tibi & ago
 & habeo quam maximas, habiturasque sum semper, donec via
 superabo mea. Et quoniam alia mihi non est de te bene prome-
 rendi facultas: illud quod sperare non nihil posse mihi video, si
 hoc ocium quo nunc fruor, Deus mihi fortunabit, tibi polli-
 ceor, me omnem operam daturum, vt & tue eximia virtus, &
 mea erga te summa benevolentia ac voluntatis, aliquid non
 obscurum iudicium prodatur posteritati. Sed & hoc parum est,
 & tu multo maioribus es dignus. Nos tamen id quod possumus
 libenter prestabimus, in quo animus tibi noster, non res ipsa est
 spectanda. Vale, & nos amare ne desine: tibi que persuade vicis-
 sim, te a me non amari solum, sed mirabiliter etiam obicruari, &
 coli. Carp. XV. Calend. Octobris M.D. XXIX.

IACOBI SADOLETI EPISC.
 CARPENTORACTI EPISTO-
 larum Lib. V. Epist. I.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT.

Ioan. Saluato S. R. E. Cardinali, S. P. D.

COGNOVI ex literis meorum, id quod mihi magna
 voluptati fuit, te saluum ad urbem, & ad Pontificem
 Max. reuertisse: atque vti nam vt virtus tua mihi pla-
 ne perspecta & probata semper fuit, sic habeat locum
 his duris temporibus, quo Reip. & Ecclesiasticæ autoritati possit
 esse adiumento. Quod tamen confido fore, fretus prudentia tua,
 & optimi Pontificis sapientia atque consilio. Ego cum tu etiam
 nam in Gallia esses, memoria teneo, me tibi scripsisse, excusata
 me reicio quid in sacris literis: quod simul ac absoluissem, conti-
 nad tibi missurus essem. Id nunc mitto, commentarios videlicet
 in Psalmum XCIII. aliquantò seriùs, quam volebam: quod ex-
 pectatio mea quoad scirem vbi nam locorum consules, fru-
 dium mittendi meum retardauit. Nam quin tibi in omni laude
 doctrine ac literarum plurimum tribuam, ne tu quidem dubita-
 re quicquam potes. Nosti enim iam diu animum meum erga te,
 & perpetuum iudicium, quod ego cum de ingenio tuo, tum de
 præstati-

prestantissimis virtutibus, omnique tua integritate & modestia
 semper feci. Quae hoc maiora ornamenta putanda sunt, quod ra-
 rior in hoc tempore cernuntur. Itaque gratum quidem mihi
 fuerit tibi probari lucubrationem meam, si tamen probanda
 sit. Verum illud quoque gratius, me abs te admoneri, si quid
 in me quod reprehensione dignum esse videatur. Tendenti enim
 in illam ad familia alia, admonitio tua praecepti in posterum, & do-
 ctinae apud me locum obtinebit. Sed de hoc satis. Reliquum est,
 quod ego nescio quamobrem hasitem petere à te, cum à tali vi-
 ro, eodemque patrono ac defensore tum meo, tum meorum
 omnium, si qua opus sunt, audacter postulanda sint: neque ta-
 men (ut ego arbitror) meae modestiae in petendo fines transi-
 liam. Habeo sororis filium de tuo Ferraricensi populo, Paulum
 Sacrum, bene ac liberaliter educum, optimisque institutum
 & moribus, & literis: qui mihi cordi vehementer est, & propter
 necessitatem sanguinis, & multò magis, quòd ex indole bona
 virtutis ac ingenij spem de se maximam omnibus nobis affert. Is
 christifiduciam sectam secutus, dedit in sacram militiam nomen,
 & meam pridem sacerdotio quodam donatus fuit. Verum pa-
 ter cum Ioan. Baptista, cuius tibi virtus, pudor, integritas, nota
 est cum multorum liberorum onere premitur, ut aequaquam id
 illi liberò sibi sit. Quare cum ipsius Pauli egregia indoles, &
 operarum artium ac literarum studium, tum domus illius ac fa-
 miliae nobilitas digna est, quam tu tua humanitate ac liberalita-
 te complectaris. Feceris igitur rem tua virtute vehementer di-
 gram, si sacerdotio alio quodam in ipsius patria illi deferendo
 contentus, quòd & studio suo colere bonas artes, & patris fra-
 trumq; onera, quae multa & magna sunt, queat subleuare. Quod
 ego à tua amplitudine ut efficiat summopere contendo atque
 impetras, si tibi videatur, ut cum in illius Ferraricensis Ecclesiae
 canonicorum, quos vocant, collegium ascribas. Erit hoc mihi
 ex multis tuis erga me benevolentiae iudiciis maxime gratum,
 proindeque honorificum. Tu verò cum illam familiam honesta-
 re in bonoq; statu collocaueris: tum egregiam illam, quae de te
 est, & de tua singulari sapientia ac religione, confirmaris opinio-
 nem, tamquam sic statuas, sacerdotia, non ad temeritatem & ar-
 bitrium esthagitantium, sed ad ornandos homines idoneos, & ad
 bonorum mentes studio virtutis ac doctrinae accendendas, dis-
 pensari oportere. Ego si hoc (ut spero) impetraro, maximo me
 habere affectum beneficio, & perpetua debitione gratiae tibi de-
 bitum esse arbitror. Vale mi Patrone, & patrem tuum
 charissimum virum meis verbis saluere iube
 quam plurimum. Carpent.

IAC.